



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Pater Rector Hvivs Maximi Collegii Cordvbensis Provinciæ Hvivs
Paraqvariæ. Pax in Domino Nostro Iesu Christo &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

PATER RECTOR

HVIVS MAXIMI COLLEGII CORDVBENSIS

PROVINCIAE HVIVS

PARAQVARIÆ.

Pax in Domino Nostro Iesu Christo &c.



Enit ad me (multis nominibus deivinctissime Pater) non sine votis Societatis nostræ Encomiastes, & si prodeat filius in orbem matris prolaturus encomia; haud timet invidiæ malevole lingua obloquenti: loquitur equidem, quæ non tacet inimicus; miror sane in hoc libro tum ingenio elaboratum, tum genio composito fasciculum nectar exhalantem, & ambrosiam suaviter sese naribus insinuantem, milleque contemplor coloribus variatum, & mirabili quodam ductu mentes excitantem, ideoque his temporibus autumo placidiorem. Multa quidem etsi bona, non noua, & iam antiquo laudata præconio, nauseabundo seculo offeruntur; at quia varia, nouaque arte ad amussim perpolitæ, leporeque dicta, & condita sale, credo omnibus placitura; nauseamque & fastidium, cum genio prolata sint, nunquam paritura, ut cecinit ille.

Quæ genius variat felici sidere in orbe
grata placent valde.

Dominus Opifex & molitor Deus, qua pollet dexteritate pulchram cæli machinam ingeniose effinxit, tot cælestibus erronibus distinctam, quot luminibus occulatam, tamque nouo persusam nitore, ut placens summo grataque videretur artifici: & vidit Deus quod esset bonum, terram proprijs libratam ponderibus reddidit stabilem, expe-
tabilem condidit, & amœnam, suoque testimonio honorandam. Et vidit Deus quod esset bonum: verum quæ prima in genesi spar-
sim laudauit, iterum sue mentis oculis attentissime scrutatur grandio-
re honoranda præconio, etsi diuisim pulchra solum, bonaque videan-
tur, iam miro maritata amplexu, & in unum cœiuncta pulchriora
placent

placēt intuenti, & tam nouam inducent elegantiam, ut Deus ipse placidissima valdeque bona admiretur: & vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Ad huius instar (peramande Pater Rector) tuum Encomiassem nostræ periucundum Societati libens & lubens contemplor, aliena encomia propria tamen Matris tenerrimo referentem amore, quæ non vnum parentem agnoscunt, qui cum varia, ac varijs sint in lucem edita, non pleno sed auaro laudis honore afficiuntur. Verum enim vero omnia iam ad opus reducta perfectum, vltimaque manu perpolitum, in tuum inquam librum, cunctaque cumulata appareant encomia, haud vnum, verum omnia, etsi præclara, præconia dignissime promerentur in æternum duratura.

Prodeat iam in noui orbis Theatrum nouus tui ingenij fetus mihi ingeniosus & expectabilis, Societatis nostræ vt credo, viris dignissimis maxime vtilis, amicis iucundus, haud inuidus inimicis. Te (mi dilectissime Pater & Rector) semel & iterum affectu, quo possum, queso & consulo, ne propriae laudis contemptor & calator auarus, nostram Prouinciam Paraquariam apostolicis insistentem institutis ingenti fruituram encomio retardare patiaris.

Pergat ergo nimis felix tuus liber, prælium sine mora videat, & sudet sub illo, quod omnes optamus, bonis ipse auibis ab Hispania profectioem in has Paraquarias oras maturefcere desideratur, vt Zephiris secundo sydere perflantibus iterum illum nobis, non sine votis postulantibus, plausu liceat intueri, insolitoque gaudio possidere.

Tuus in Domino

FRANCISCVS DIAZ TAÑO

ELO-